



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

lbis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE IBI. CAP. XVII.

DE Ibi nunc dicere consentaneum est, quæ quidem omnino est Ciconiæ species, excelsa ea quidem, rigidis cruribus, procero rostro, multo tamen alia quam nostra. Atq; eadem in Ægypto duplici genere distinguuntur: sunt enim aliæ candidæ, aliæ nigræ. Candidæ apud Pelusium tantum non sunt, cum in reliqua tota Ægypto habeantur: ideo vero candidæ appellatæ, quia capite sunt & collo pene candido, reliquo tamen corpore nigricante. Nigræ contra apud Pelusium tantum, in cætera Ægypto nullæ. Sunt vero hæ nigræ totæ cruribus gruinis, rostro maxima ex parte adunco. Sed quæ candidæ dicuntur, pedibus sunt humanis prope similibus, & graciliori capite.

ÆGYPTUS. CAP. XVIII.

Quæ quidem geminæ species in Ægypto tantum repertæ, argumentum dedere, ut Ibes geminæ pro Ægypto ipsa figurarentur: utpote quæ ei tantum regioni familiares & propriæ essent. Eas in huiusmodi significatum passim in obeliscis videas. In numis vero Q. & C. Mari, observavimus Ibes Elephanto adhibito: earum quippe regionum hieroglyphica, quas ipsi ditioni Romanæ subiecisent, aut in quibus æternæ memoriæ aliquid dignum effecissent. Sunt vero aves hæ ita Ægypti propriæ, ut extra eam regionem vivere non possint, asportatæque ocysimè moriantur. Est alia ratio, cur Ægyptum hieroglyphicè significarent Ibes: nempe cum ea regio Delton, à Δ Græcæ litteræ figuræ nuncuparetur, eam cum Ibis similitudinem habet, quod alites hæ litteram eam incesu pedum, interstitio ad æquales trianguli lineas diducto, figurare videantur, idemque rostrum patefacium signat: *πισει γδ τη των ποδιων αναστοις προς αλληλους, και προς το βίγκυ. ισπλδ. ου τρηγάνοις.*

COR. CAP. XIX.

Quoniam vero Ibis Mercurio in primis dedicata erat, qui totius cordis & fermocinationis dominus habebatur, ales ea cordis hieroglyphicum proponebatur: nam & alibi cor in thuribulo positum, Ægypti habere significatum ostendimus. Verum alia ibi ratio. Quod vero ad Ibin pertinet, avis ea simulac nata est, si perpendatur, duas æquæ drachmas ponderat, Plutarcho referente: quod utique pondus est par cordi nuper nati pueruli, γδ ἰβιν φασιν καταλαβέσθαι ενθός ἕλαειν δύο δραχμάς, ὅσην ἀρετι παιδὸς γεγονότος καρδίας. Medici vero causam aliam adducunt: quia scilicet suapte natura Ibes cordi mirifice conferant, de quo apud eos locupletius: Sedenim super hoc in Accipitre plura.

SALUBRITAS. CAP. XX.

Adem, quia medicamenti genus quod in maximo ad salubritatem usu est, commonstravit, rostri aduncitate per eam partem se proluens, qua reddi ciborum onera maxime salubre, & in primis necessarium est, eo illa gestu figurata, salubritatis apud Ægyptios hieroglyphicum fuit. Eo autem præsentaneo remedio cum vulgo uterentur Ægyptii, evenit, ut postquam ejus utilitas universo terrarum orbi communicata est, dictitatum sit, in Ægypto omnes esse Medicos: quod ab Homero sumptum multi postea usurparunt. Accessit huc ciborum abstinentiæ, succorum herbarumque non incuriosa cognitio, de quibus licet alii multa, plurima tamen Ægyptii deprehendere, institutumque apud eos, ut singulorum morborum singuli essent medici: unde Medicorum illic coaluerit multitudo. Alii



Cur Ibes saluti sum lacrum. Nempe clystere.

Dd

eam